

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema LXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

cesso in ipsum considerare, & bene sperare. Si moram fecerit, Habac. 2. v. 4.

3. Ne autem cogitent alii, Hæc ad solum Davidem pertinere, addit: Omnem Israelæm id ipsum de Deo sperare debere. Gratiæ enim & copiosam redemptionem pertinere ad omnem Israelæm. Et liberatum iri Israelæm, à suis peccatis &c.

Lo e v s. Nemo hominum licet mole peccatorum in abyssum demersus videatur, desperet de gratia Dei & remissione suorū peccatorum. *Copiosa enim redemptio apud Deum*, Rom. 5. v. 1. vbi abundat peccatum, superabundat gratia. Paulus de se 1. Tim. 1. v. 15. Ego maximus, Omnes saluos vult. Neminem perire vult. Omnium miseretur, 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Ro. 11. v. 23. Gal. 3. v. 22. Propitiatio pro omnibus. 1. Joan. 2. v. 2. Joa. 3. v. 16. Hæc non dicitur, ut aperiamus fenestram peccatis, sed ut timeatur Deus: ut filialiter, non seruiliter. Rom. 8. vers. 15. *Non ad timorem seruitutis Spiritum accepistis*. Hæc est fides antiquissima, etiam in veteri testamento: quod Deus redemptor, Job. 16. v. 26. & nemo suis meritis, sed per gratiam Domini saluetur. Hæc enim vna & primaria causa remissionis peccatorum hoc loco sæpius repetitur.

F I N I S.

T H E M A L X X I V.

Psal. 144. v. 3. & 4.

*Quid est homo, quod memores eius, &c.*

NOTA. Duo huius Thematidis membra supra in 1. parte Promptuarii suis Dispositionibus iam sunt explicata. Homo N I H I L. Vide in appendice Classis VI. Num. 1. pag. 4. 6. Homo V M B R A. Vide ibidem Num. IV. & seqq. pag. 489.

Tertium vero membrum, continens eadem verba, quæ Psal. 8. habentur, *Quid est homo &c.* supra in hac 2. parte

parte Promptuarii suam habent peculiarem Dispositionem, Num. XLI. Quia igitur hic vnus locus tribus Dispositionibus iam mediocriter illustratus est, nihil hic addere volui. Sequitur ergo

## THEMA LXXV.

Psal. 146. v. 4.

*Exiuit spiritus hominis, & reuertetur in terram suam.  
In die illo peribunt omnes illius cogitationes.*

## DISPOSITIO.

Breuis hæc est, ac excellentissima sententiola Psalmi, qua paucis & valde emphaticis verbis, Deus nobis omnem fiduciam in homines quoscumque sic prohibet, & sic à confidentia illa (plerisque innata) auocat, vt manibus quasi palpare possint, quam stulte & impie agant, si suorum (vt ita dicam) idolorum, hoc est, patronorum quorumcuq; & primatum vel in Ecclesiastico vel politico ordine, præsidio suffulti, aliquid tentent, Deo & honestati atque proximo contrarium vel aduersum.

Nos itaque primum rationes illas Spiritus sancti examinabimus, quibus omnes homines ab admiratione & veneratione humanorum præsidiorum auocare conatur. Deinde audita ad nostrum vsum accommodabimus.

## I. Ratio.

Singula verba aliquid habent in recessu, ideoque singula probe enucleanda.

1. *Exiuit spiritus hominis.* Quid quæso (vult dicere) speras ab homine? Cum homo sit, hoc est mortalis sit, & antequam tibi benefacere possit, euocetur ex hac vita.

2. Et id quidem de omni homine verum est: siue Rex sit siue subulcus. Pallida enim mors æquo pulsar pede pauperum tabernas regumque turres. Mors sceptrâ ligonibus æquat.

Q 5

3. Atque